Conditi Prussiarum regni memoriam anniversariam

die XVIII. Januarii MDCCCLXIV

in

Auditorio maximo

celebrandam

indicunt

Prorector et Senatus Academiae Albertinae.



Insunt Lobeckii dissertationes de metaphora et de metonymia nunc primum editae.

Regimonti.
TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

Cogitanti mihi saepenumero de caussis et utilitate programmatum academicorum nihil aliud in mentem venit, nisi ea in domibus professorum ad vitra fenestrarum detergenda aliosque usus domesticos adhiberi. Nam quod theologis ICtis medicis mathematicis historicis naturae scrutatoribus mittuntur libelli de prisca latinitate, de hiatibus et elisionibus, de apocope et syncope, de similibus quaestionibus, quae eis magnopere opinor cordi sunt: nonne id revocat coenas illas in fabula a ciconia vulpi et a vulpe ciconiae paratas? Hoc institutum eo tempore utilitatem habuisse non negamus, quo Faustius ut apud Goethium profitetur, praeter philosophiam medicinam jurisprudentiam etiam theologiam complecti potuit, ac plerique eruditi per omnes scientiae humanae fines vagabantur: at hodie quisque contentus est qui in una disciplina totus habitat. Philologi autem et grammatici qui ejusmodi opuscula fere soli inspicere solent, haec disjecta librorum membra multo commodius in ephemeridibus et annalibus legerent: quae nunc ad eos quibus usui esse possent, saepe aut ne perveniunt quidem aut non sine magna bibliopolarum et auctorum molestia parantur. At fortasse ei qui libellos academicos scribunt tam gratum munus sibi eripi non patientur? Hoc vix quemqvam pro certo affirmaturum esse credo. Sin autem Mauricius Hauptius sexto quoque mense se proferre posse quae eruditorum hominum laudes consequantur, negavit: quid ab eis expectari poterit, qui tanto viro et ingenio et doctrina longe inferiores sunt? praesertim in hac academia in qua quini vel seni libelli (aut certe libellorum fragmenta) quotannis publicantur.

Quod autem mihi nunc materia qua perituras chartas impleam non suppetit, inde magnum lucrum facient lectores, qui pro merce vili accipient pretio-

sam. Nam e Chr. A. Lobeckii praelectionibus de schematologia (novissime hieme a. MDCCCLV—LVI habitis) duas dissertationes de metaphora et de metonymia, a me Latine versas, hoc loco proponam. Quamquam enim ipse vir summus haec publici juris fieri noluit, quae in discentium usum ex ingentibus doctrinae suae thesauris larga manu promsit, plerosque lectores ea nec sine voluptate pervoluturos esse spero nec sine fructu.

I. De metaphora.

De translatione, quae Graece vocatur *μεταφορά*, primus dixit Aristoteles qui in libris de rhetorica et de poetica hanc figuram identidem strictim tetigit, sed dedita opera explicare noluit. Contra artium rhetoricarum scriptores et Graeci et Latini verbosa tractatione rem conturbarunt magis quam expediverunt. Nec plus profecerunt grammatici, velut Donatus Charisius Diomedes. Quibus omnibus praetermissis adiisse sufficiet Quintilian. Inst. Or. VIII 6, 4. Auct. ad Herenn. IV 34 Cic. de orat. IV 38, 155 sq.

Translationum alterum genus id est, quo ut Quintilianus ait, indocti quoque et non sentientes utuntur, alterum vel decoris vel necessitatis causa (Diomedis verba sunt II 122) adhibitum. Ad illud metaphorae omnibus fere linguis communes pertinent, quibus corporis partium vocabula in locos transferuntur, velut graece *ῥάχις* eodem sensu dicitur quo Germanice Bergruecken. *μαστός* de verruca collis, *αὐχήν* de angustiis terrarum vel faucibus marium, *ἀγκών* de sinu maris vel de promontorio: qua ratione transferuntur etiam *λαγών*, *τένων*, *σφυρά*, *μασχάλη*, *στόμα* (*πόντου* vel *ποταμοῦ*, pro quo Latini ostium ob oris vocabulo derivatum ponunt, nos Muendung). Contra brachium fluminis et similia latine dicuntur, Graecum *βραχίων* eodem modo numquam transfertur.

Deinde haec eadem vocabula ad herbarum arborumque partes transferuntur, velut *φόβη* de fronde dicitur, oculi et *ὀφθαλμοί* in floribus, ramus caecus is qui non germinat, *ἐγκέφαλος* de medulla palmarum.

Alia translatione ut cum veteribus loquar, *τὸ μέτρον ἀντὶ τοῦ μετρουμένου* ponitur, velut si *πῆχυς* et ulna non partem brachii significant sed mensuram; contra

ὠλένη quod cum latino ulna cognatum esse apparet, hoc sensu numquam usurpatur. In idem genus cadunt δάκτυλος πούς παλαιστή βῆμα digitus palma, alia similia.

Ab his metaphoris longe diversae sunt eae, quibus rerum notarum vocabula ad significandas res proprio nomine carentes mutuamur, unde veteres artium scriptores: metaphora est inquiunt quae rebus non habentibus nomen dat. Velut Romanos elephantos primum in Luçania visos boves Lucas appellasse refert Plinius, et proboscidem elephanti Graeci χέρας dixere. Eodem pertinent instrumentorum vasorum et animalium terrestrium nomina ad pisces translata (sicut limae nomen ad squatinam), quae afferuntur in Prolegg. Pathol. p. 66: βελόνη κέστρα κίχλη λύρα σκυτάλη γέρανος ἔχινος ἵππος λύκος ὄνος τράγος κόκκυξ ἀλώπηξ ἀετός στρουθός τρυγών χελιδών σωλήν. Necessitate, ut ait Quintilianus, rustici gemmam in vitibus dixere (quid enim dicerent aliud?); Graeci idem non μαργαρίτην, verum ὀφθαλμόν, gemmas agere ὀφθαλμίζειν. Rotarum radii Graecis sunt κνῆμαι et κνημῖδες, sed masculinum κνῆμος de montium tantum partibus translate dictum est. Ceterum hac in re numquam obliviscendum est, in multis vocabulis significationem primitivam incertam esse, eis praesertim quorum originatio obscura est. Utrum v. c. tibia ab initio quodque cylindri sive tubi genus significaverit an certum quoddam, a quo ad reliqua translatum sit, discerni vix unquam poterit; nec magis utrum κανθός primum rotae circulum notaverit, deinde id quod rotae modo oculos ambit, an viceversa. Idem de permultis aliis valere per se patet.

Illa autem vocabula quae usu recepto ad res peculiari nomine carentes significandas adhibentur, in metaphoris propriis non esse numerandas apparet, sed ea tantum quae consulto transferuntur, et sine necessitate, velut, ut uno exemplo totum genus significem, ὄζος στάχυς σπέρμα ἔρνος de propagine humana. Verum in talibus quoque multo usu saepe vis propria vocabulorum adeo fracta est et debilitata, ut ipsi loquentes translatione se uti nesciant. Has igitur, quibus color translationis ut ita dicam assidua tractatione detersus et detritus est, hoc loco omittamus. Sed in eis paullulum commoremur, quae in altera lingua frequentantur ab altera aliena sunt. Quae genera translationum utraque amet quae neglegat, nondum investigatum est; hoc loco nonnulla tantum tam late patentis discrepantiae exempla proposuisse sat erit. De quatuor elementorum nominibus apud Graecos et Latinos

nullum transfertur, quum nos certe ignis vocabulo tropice utamur (v. c. Jugendfeuer), Latini ardoris tantum nomine, nam igniculus (desiderii Cic. ad fam. XV 20 etc.) huc non pertinet. Neque diei temporum vocabula transtulerunt antiqui, ut nos v. c. Morgen und Abend des Lebens dicimus, a quibus locutionibus aliquantum distare Graecum *δυσμαί βίου* nemo non sentiet. Contra anni temporum nomina translate usurpata sunt, ut *τὸ ἔαρ τῆς πόλεως* Demades orator (ap. Athen. III 99) de flore populi dixit.

Aeschines in Ctesiph. III 166 irridet arcessitam Demosthenis metaphoram *ἀμπελουργεῖν τὴν πόλιν* pro spoliare. Apud posteriores scriptores Graecos hoc genus, quod proxime accedit ad acyrologiam et catachresim, quam maxime frequentatur, nec minus in Latinitate novicia, in qua permulta celebrantur numquam ab antiquis dicta, ut in aprico est pro in propatulo, locum allegare vel citare, alludere ad aliquid, nubem exemplorum colligere, damnum vel jacturam pati pro facere. Alia hoc genus quae recentiores amant aut poetis tantum videntur concessa fuisse, ut arridere pro placere, innuere pro significare, claudere pro finire, preces fundere, aut senescenti latinitati propria sunt, ut succincte docere ante Ammianum nemo eorum quos hodie legimus dixit.

Contra legem a Quintiliano l. l. propositam, ut quo ex genere translationis coeperis, in hoc desinas non raro peccant poetae, ut Aeschyl. Agam. 125 *μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας*; Sophocl. Antig. 509. *σοὶ ὑπίλλουσιν στόμα*, ubi oris et caudae notiones confusae sunt. Nam *ὑπίλλειν* subvolvere proprie dicitur de canibus caudam blande moventibus. Fortasse etiam verbum illud oblivione obrutum quod in composito adulari delitescit, cum *ἴλλειν εἰλεῖν* volvere cohaeret ut adulari (ut cevere et nostratium schwänzeln) proprie de canibus blandientibus dictum sit. Cf. Rhem. p. 350. Adiciam nonnulla exempla ex Euripide petita, in quibus diversa translationis genera confusa sunt. Eurip. Med. 110 *ἀνάπτειν νέφος οἰμωγῆς*, ib. 375 (de Medea) *ἀποταυροῦται δέργμα λεαίνης*; Hel. 1251 *σπονδὰς τέμωμεν*, quo loco in uno codice *χέωμεν* a librario positum est. Apud Callimach. hymn. in lavacr. Min. 104 pro *μοιράων ἐπένευσε λίνα* quod Bentleius conjecit *ἐπένησε*, merito improbatur. Non minus dure Horatius A. P. 441 male tornatos incudi reddere versus, tornandi et cudendi notiones permiscuit. Cf. Rhemat. p. 351. Nonnulla hujus mixturae imaginum exempla etiam apud prosae scriptores

inveniuntur; cf. ad Aj. 130, ubi inconsequentia metaphorae ab alio genere in aliud transeuntis exemplis illustrata est. Imprimis verba, quae rebus attributa sunt sensus moventibus interdum ab altero sensu ad alterum transire, notum est; qua de re v. Rhem. p. 340. De hujusmodi confusionibus in latino sermone admissis ut objurgare aliquem molli brachio, audire aliquid per nebulam, praelibare aliquid visu, non absoni motus, dixit Garatonius ad Cic. de leg. agr. II 10, 25. Nonnulla ex hoc latissime patente genere exempla addam. Seneca disparilia conjunxit quum in epistulis et in quaest. nat. aliquoties dixit aliquid ad obrussam exigere, nam obrussa experimentum auri in igne vocatur, exigere est trutina examinare; et Persius IV 12 fallit pede regula varo, ubi pedes regulae tribuuntur, quae normae tantum recte tribui possunt.

Poetae interdum vocabulis audacius translatis adjectivum apponunt, quod cum significatione eorum propria pugnat, ne dubitari possit qualem sensus mutationem intellegi voluerint. Ita cantus vocatur a Pindaro *πόμα ἀοίδιμον* Pyth. 3, 135, *μίτρα καναχηδὰ πεποικιλμένη* Nem. 8, 25, *λίθος μουσαῖος* Nem. 8, 80, *οὖρος εὐκλέης* ib. 6, 49; a poeta aevi serioris *νέκταρ ἐναρμόνιον* Anth. VII 29. Euripides Orest. 613 discordiam ab Aegistho in domum Agamemnonis illatam *πῦρ ἀνήφαιστον* dicit, mulier atrox ab Aeschylo vocatur *δίπους λέαινα*; v. Elem. Pathol. I 36, ubi alia quoque oxymora allata sunt velut *φόρμιγξ ἄχορδος* de arcu, *ὄφις πτερωτή* de api, *ἄπτερος ὄρνις* de fumo.

II. De metonymia.

A metaphora quae nomen unius rei in alteram genere quidem diversam sed forma virtute vel quavis alia ratione similem et ad comparationem idoneam transfert, distinguenda est metonymia sive transnominatio, quae est ut ait Quintilianus VIII 6, 22 nominis pro nomine positio: cujus vis est pro eo quod dicitur causam propter quam dicitur ponere. Quam definitionem non satis circumscriptam esse apparet; nec melius Diomedes II 123 a: metonymia est dictio a propria significatione ad aliam impropriam translata, quod non minus recte de synecdoche et metaphora dici potest. Sed ex exemplis a Diomede et Quintiliano allatis quid senserit uterque, intellegimus: ea autem exempla in tria vel quatuor genera diviserunt.

Primi generis est, quum ab eo quod continet significatur id quod continetur, ut Festi verbis utar p. 170 Lindem., quod brevius continens pro contento vocatur. Pompejus Comm. ad Donat. p. 467 exemplum affert pateras libare pro vinum. Eodem modo *τρυβλίον ῥοφῆσαι* dixit Aristoph. Eqq. 912. Herodian. *περὶ μονήρους* p. 136 ed. Lehrs. Atticos pro *τύλη* dicere solere observat *κνέφαλλον, ὁμωνύμως τῷ περιεχομένῳ τὴν περιέχουσαν*; nam *τύλη* proprie tomentum significat, quo infarta est culcita (ab [in] culcando dicta). Huc illa figura imprimis pertinet, qua nomine loci alicujus id notatur quod ibi aut fabricatur aut nascitur, velut Anticyra pro helleboro ponitur. Plutarch. de cohib. ira c. 13 p. 462: *ἡ Ἀντίκυρα θεραπεύει*; Pers. sat. IV 16 Anticyras sorbere. Haec locorum et terrae proventuum homonymia exemplis constat plurimis, v. Parall. p. 316; quorum nonnulla afferam. Arbor in insula Cypro frequentissima vocatur *κύπρος*; etiam *πύξος* nomen a loco accepit (nisi retrorsum locus ab arbore nomen mutuatus est; Arcad. p. 66, 12 *πύξος ἡ πόλις καὶ τὸ φυτόν*). Tus a monte Libano *λίβανος* dictum est (ab Atticis *λιβανωτός*), sardonyx apud Philostrat. imagg. p. 11 *Σαρδώ* audit, bombyces Serici metaxam nentes *οἱ περσικοὶ σῆρες* in Juliani epp. XXIV 36; cf. Paus. VI 26, 4. Consimiliter Theocritus genus calceorum Laconicorum qui vulgo adjective dici solent *ἀμυκλαΐδες*, appellavit *Ἀμύκλαι* X 35.

Eadem ratione terrarum nomina pro incolis ponuntur velut Africa pro Africani, quod Cic. de orat. III 42 traductionem appellat, Festus ad metonymiam trahit. Thucyd. I 6 ἡ παλαιὰ Ἑλλὰς πᾶσα ἐσιδηροφόρησεν. Dem. Phil. II. § 36 p. 74. Φίλιππος διὰ Πύλας καὶ Φωκέας βαδίζει. Martial. IV 53, 3. Arpos disertos pro Arpinis posuit. —

Huc etiam illud referri potest quod vitia et virtutes earum urbium nominibus notantur, quarum incolae aut his aut illis excellunt, ut Sybaris pro luxuria dictum est v. c. ἄνθρωποι μεστοὶ Συβαρίδος. Philostrat. Heroic. c. 1: Σύβαρις Ἰωνική.

Contra etiam contentum pro continente ponitur, ut apud Atticos οἱ ἰχθύες forum piscarium significat, τὰ μύρα regionem seplasiariorum, ὄψα forum olitorium, ἔλαιον olearium, quod affert Eustath. p. 1583 (ὁ περιέχων τόπος ἀπὸ τοῦ περιεχομένου).

Propter cognationem notionum ad spatium et ad tempus pertinentium terrae proventus pro eo anni tempore ponuntur, cui maxime proprii sunt, velut ποιά vel ποά pro θέρος, Rhian. fr. 6 (ap. Pausan. IV 17) χείματά τε ποίας τε δύω καὶ εἴκοσι πάσας, hiemes et aestates, unde etiam ποιά ut aestas pro toto anno dicitur: Callimach. fr. 181 ἐπ' ἐννέα ποιάς in novem annos; similiter Eurip. Electr. 1153 δεκετέσιν σποραῖς ἦλθον πατρίδα; cf. Jacobs ad Anthol. Palat. p. 412. Apud Claudian. de IV cons. Honorii v. 312 puer nondum decennis vocatur nondum decimas emensus aristas.

Cum hoc metonymiarum genere rhetorici consuetudinem illam pervulgatam componunt, qua in omnibus fere linguis pro certis animi mentisque facultatibus virtutibus affectibus eae corporis partes ponuntur, in quibus illa sedem habere creduntur; velut κῆρ et σπλάγχνον pro ψύχη, φρένες pro λογισμός, nasus et μυκτήρ pro ironia, ὄφρυς et supercilium pro superbia, stomachus pro indignatione et iracundia, χολή pro ira v. Proll. Path. p. 11 (cf. cervices Cic. Verr. II 3, 59); inter quae in mentem venit decantatum illud cor Zenodoti et jecur Cratetis.

Alterum metonymiae genus id est quo inventor pro invento ponitur dator pro dato, quo modo imprimis deorum nomina permutata esse, nemo nescit. Romani Jovem pro coelo dixerunt (Jacob quaest. epp. 44); Graeci non item Ζεύς pro οὐρανός, sed haec significatio vocabulis tantum cum casibus formae Δίς

compositis propria est, velut *διιπετής* coelo delapsus, *εὐδία* serenitas coeli, *ἔνδιος*, *ἔνδιον* (sub divo). *Ἅιδης* jam apud Tragicos de loco dictum esse observavit Voss. h. in Cer. 348. Prae aliis deorum nominibus hoc modo traducta sunt *Ἄρης* et *Ἀφροδίτη* Soph. O. C. 1046 *χαλκοβόαν Ἄρην μίξουσι*; Artemidor. Onirocr. V 86 p. 429 ed Reiff. *ἐσήμαινε γὰρ* (*Ἄρης τὸν σίδηρον*) *ὡς καὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ καλοῦμεν μετωνυμικῶς*. *Ἀφροδίτη* non de coitu tantum sed etiam de qualibet cupidine dictum est: Eurip. Iph. Aul. 126 *μέμηνε δ' Ἀφροδίτη τις Ἑλλήνων στρατῷ πλεῖν ὡς τάχιστα βαρβάρων ἐπὶ χθόνα.* Consimiliter deorum marinorum nomina interdum usurpantur pro mari (*Νηρεύς*, *Ἀμφιτρίτη*); frequentius *Διόνυσος* et *Δημήτηρ* apud Romanos Bacchus Venus. Notum est illud Naevii (ap. Fest. s. coquum): coquus edit Neptunum Venerem Cererem. Vulcani nomen saepe, Apollinis nunquam sic traductum est; Minervae Romani tantum metonymice usurparunt (crassa vel pinguis Minerva). De *Ἄρεως* vocabulo dubitari potest ut de *Ἐριννύος*, utrum primum rem an personam significarit.

Non raro epitheta cum his deorum nominibus conjunguntur, quae non propriae eorum significationi conveniunt, sed metonymicae, ut apud Statium Theb. IV 370 aqua marina Doris amara, apud Homerum mare procellosum *ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη*. Contraria ratione epitheta a rebus ad personas transferuntur, ut fluvii Ismeni deus Callimacho Del. 76 *μελάμφηφος* vocatur et Il. XVIII 399 dea marina Eurynome *θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο*. Pari licentia Solon propriam significationem confudit cum metonymica fragm. 25 (Bergk 35) *μήτηρ, μεγίστα δαιμόνων ὀλυμπίων, ἄριστα, Γῆ μέλαινα* (cf. Parall. 330); Soph. Philoct. 392 *Ὀρεστέρα παμβῶτι γᾶ, μᾶτερ αὐτοῦ Διός*.

Tertium genus consistit in confusione causae cum effectu (ab eo quod fit id quod facit), ut frigus pigrum ignavum iners, quia pigros et inertes facit. Ita Nicand. Ther. 382 *μάλκη ἀεργός*, Pers. satt. V 55 cuminum pallens, quia pallorem bibentibus gignit, Juv. VII 206 gelidae cicutae, Lucil. fragm. 5 caepe flebile. Eadem ratione apud Hippocratem aliosque qui de materia medica scripsere, medicamenta quae aciem oculorum adjuvant, *φάρμακα ὀξυδερκῆ* audiunt, quae obtundunt *ἀμβλυώπα*; et *ὁ φακός* apud Dioscorid. 249 *δυσόνειρος*, *ἰσχάδες* ap. Athen. I 27 F. *ἡδυόνειροι*. Idem Ath. IV 132 *βρώματα ὑποβινητιῶντα* commemorat et XIV 551 C., Hippocrates notos *βαρυηκόους* dixit, Aphor. p. 720 T. III;

ὕπνος θαλερός pro *θαλεροποιός* Eurip. 646, *οἶνος ἠλεός ὁ ἠλιθιοποιός* Od. XIV 463 Athen. V 179 F. Huc pertinet etiam *χλωρὸν δέος*, pallida mors, alia vulgo usurpata; cf. ad Aj. p. 75 sq.

Hinc poetae in metathesi epithetorum longius progressi etiam talia ausi sunt quale est apud Nonn. XVI 13 *κορυθαίολον ἄντρον*, in quo Corybantes *κορυθαίολοι* habitant. Eadem licentia idem Nonnus XXIV 29 Corybantum saltationem *σακεσπάλον ἅλμα χορείης* appellat; cf. ib. 24 *χοροίτυπον ἴχνος ἑλίσσειν.* Ne apud tragicos quidem hujus figurae exempla desunt, ut Eurip. Phoen. 1350 *λευκοπήχεις κτύποι χεροῖν.* Cf. praeter adn. ad Aj. l. l. Reisigii praelect. de gramm. lat. ab Haasio editas p. 634. Haec omnia ad quartum genus metonymiae referri possunt, quod complectitur translationes a possessore ad possessum vel ab actore ad actionem.

12

Quaestiones litterariae

civibus academicis in hunc annum ad concertandum propositae.

Ordinis Theologorum.

De Adoptianismi origine, nexu historico et dogmatico cum Nestorianismo, nec non de ejus indole, e statu ecclesiae Hispanicae saeculo octavo deducenda.

Ordinis ICtorum.

1) Interpretatio L. 2. C. de pecunia constituta.
2) Interpretatio Cap. 3. X. de judiciis (2. 1.).
3) Exponantur instituta juris privati quae ad res spectant in Capitularibus Caroli M. obvia.

Ordinis Medicorum.

In organa auditus animalium vertebratorum praecipue inferiorum ita inquiratur, ut morphologia partium labyrinthi mollium perspici possit, et appareat, quid cochleae secundum morphologiam aequiparandum sit, et quatenus ejus vestigium in animalibus vertebratis inferiorum ordinum inveniatur. In hac disquisitione libri de hac re hucusque publicati adhibendi erunt, addendae adumbrationes et, quantum fieri poterit, praeparata conservanda.

Ordinis Philosophorum.

1) In numero quaestionum dynamicarum, quae, quamvis quadraturam admittant, per accuratam integralis ultimi discussionem atque inversionem nondum absolutae sunt, problema de motu turbinum est, in quibus duo momenta inertiae inter se aequalia sunt. Proponitur igitur hoc problema fundamentale dynamicum: Punctum axis rotationis in corpore rigido revolutione orto in plano horizontali progrediatur, quaeritur de motu huius corporis ad quodvis tempus, postquam ei in data qualibet axis inclinatione motus gyratorius datus circa hunc axem fuerit impressus, nulla vi, nisi gravitate, respecta.

2) Quaeratur primum, quae fragmenta in scholiis Homericis propter sermonem et propter criticas rationes Didymo aut tribuenda sint aut abjudicanda; deinde fragmenta libri Didymei quantum fieri potest colligantur et emendentur.

3) De Tiberii Caesaris vita et moribus ea, quae a veteribus tradita sunt, ita inter se comparentur et percenseantur, ut fontibus accurate pervestigatis, quantum fidei et auctoritatis unicuique scriptorum tribuendum sit plane dijudicetur.